

XLI Congresso Eucaristico mondiale: Filadelfia 1-8 agosto 1976

Lettera della Conferenza Episcopale degli Stati Uniti d'America, in data 8-XII-1975, al Presidente della C.E.I.

Die 29 maii 1975, Stabilis Consilii Internationalibus Eucharisticis Conventibus Provehendis eminentissimus praeses, Iacobus Cardinalis Knox, ad Episcopales totius orbis terrarum Coetus litteras misit de *quadragésimo primo Conventu Internationali Eucharistico, qui Philadelpiae, in civitate Pennsylvania, a primo usque ad diem octavum mensis augusti, anno 1976, sollemniter celebrabitur*; cuius Conventus propositum, a Summo Pontifice Paulo Papa VI rite approbatum, est humanae familiae languentis necessitates atque esuritiones perquirere quomodo renovata Sanctissimae Eucharistiae fiducia possint sublevari. His enim temporibus permulti homines cum fidei Christianae qua animos in rebus adversis sustineant, tum corporis ipsius alimentorum, nedum libertatis civibus condignae, laborant inopia; quae fames nisi a Domino nostro Iesu Christo, quem proprie vereque Panem Vitae Aeternae nuncupamus, haudquaquam satiari potest.

Conventus Eucharisticus singulis diebus singulis humanae familiae desideriis et necessitatibus operam suam studiumque navabit, cum scholae atque disputationes a Consilio constitutae, nec non et liturgiae divinae celebrandae demonstrabunt quomodo nostra in Sanctissimam Eucharistiam fides harum cuique esuritionum succurrat, ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam.

Moderatorum Consilium et coetus subordinati diu ac diligenter laborant ut Conventus Eucharisticus participibus omnibus abundantis gratiae fiat occasio. Nos igitur, illius Consilii alter praefectus, alter Nationalis Episcoporum Catholicorum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Conferentiae praeses, Vos, episcopos fratres nostros ceterosque cunctarum gentium fideles, et clericos et laicos, ex animo invitamus ut sollemne hoc nostrae in Sanctissimam Eucharistiam fidei testimonium nobiscum concelebretis. Quodsi Tu, qui Episcopali Tuo Coetui praesides, Conventui Eucharistico nulla alia ratione adesse nequeas, necessarias Tibi itineris atque hospitii impensas libenter supeditabimus.

Spes nostra est ut Tu, reverendissime Domine, sed et patriae Tuae regionales ecclesiae huic quadragésimo primo Conventui aliquo modo interesse possitis; quam ob rem *Eminentissimus Dominus Iacobus Cardinalis Knox in epistula sua proposuit ut ultimo Conventus die, octavo*

mensis augusti, anno 1976 in quaque natione aliqua secundum Stationem Orbis celebratio fiat Eucharistica, qua Ecclesiae unitas in Sanctissimo Altaris Sacramento exaltando per orbem terrarum manifestetur.

Pergratum nobis, reverendissime Domine, facias, si ceteris eius cui praees Coetus Episcopis atque omnibus concivibus Tuis fidelibus clericis, religiosis, laicis hanc nostram invitationem communicare digneris, ut Philadelphiae a primo usque ad octavum mensis augusti diem, anno 1976, ad quadragesimum primum Internationalem Conventum Eucharisticum celebrandum conveniant. Placeat Tibi respondere:

John Cardinal Krol
Forty-First International Eucharistic Congress
222 North Seventeenth Street
Philadelphia, Pennsylvania 19103
United States of America

De ceteris quae ad Conventum pertinent, si litterae adiectae non sufficiant, per hoc officium certior fieri potes.

Te, reverendissime frater, pro felici ac prospero huius Conventus Eucharistici exitu impense orare velimus, ut opera nostra, Deo adiuvante, miseriae hominum atque esuritiones re vera subleventur, ne in iudicio dicat Dominus, « Panem petivi, et lapidem porrexistis mihi »; ipse enim dixit, « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis ».